

dasſelbe Memorienbuch, von welchem Herr Paſtor Blaueſ
a. a. D. S. 47 ein Bruchſtück gegeben hat.

1.

*Nota, quod per hunc modum ſequentem hoc ſalutiferum
animarum noſtrarum medicamentum, ſanctus ſanguis
domini noſtri Iheſu Chriſti, huc ad nos ad Ortum
devenit, ut ſequitur.*

Volo et cupio omnes ſcire hic preſentes, ut per
preſentes abſentibus innotescat. Eſtimo non ex caſu
aut fortuitu, ſed ex divina providencia contigiſſe. Habe-
mus ex relatu quarundam ſanctimonialium antiquarum,
quod quidam nobilis de caſtro Segenbergk, de quorum
ſtirpe habentur adhuc aliqui in propagine ramorum, —
erant enim nobiles illi de Segenberg genere, ut nunc iſti
de Plesſe — ille ut dicitur nobilis predictus viſitavit
terram ſanctam gracia adorandi ad ſepulchrum Chriſti.
Peracto voto cum in reditu veniret Neapolim, que eſt
civitas regalis, ibique pausaret per aliquod tempus —
placuit enim multum converſatio ejus regi — conſummatis
diebus, ut rediret in terram ſuam, data valedictione dixit
rex: *Petite nunc a me, ſi quid michi forte poſſibile ſit
dare, dabo vobis.* Et habebat rex in conclavi ſuo de
ſanguine precioſo Iheſu Chriſti, quem ſicut decuit in
omni reverentia et honore ſervabat, luminaribus et lam-
padibus ardentibus multis die noctuque honorabat. Re-
ſpondit nobilis ille de Segenberg: *Domine rex, ſi non
eſt contraria dictioni veſtre, et ſi placet peticio mea,
peto ut detis mihi de ſanguine Iheſu Chriſti, unde locus ¹⁾
noſter decoretur, vel que circumjacent munitiones ad fidem
et devotionem amplius inſormentur.* Dedit igitur rex
nobili illi hoc celeſte munus, et translatum eſt et collo-
catum in caſtro predicto. Ubi aliquanto tempore habitum
eſt et honoratum ſatis reverenter. Sed ſuccedente tem-
pore revelatum eſt uxori mariti divinitus, quod non ibi

¹⁾ Eine andere Hand hat „arx“ darüber geſchrieben.